

1251.

Ex Libro Privilegior Cap. Cracovig

Casimirus Dux Lancitie, et Cujavie restituit villam
Cyzemino Prandota Episcopo Cracoviensi, ac declarat illam
villam ad jus proprietatemque sue Ecclesie semper pertinuisse.

203

Quoniam propter tractum temporis longevi saepius
sufficiencia deficit probationis, et sic veritas plerumque
in Dubium revocatur. Quare sapientia discretorum decre-
vit ea, quae rite statuuntur seu ordinantur, scripti patroci-
nio roborari, ut sic veritas loco sui tentorii dilatato
funiculos memoriae à modernis protendat usque ad
sempiternam posteritatem. Ideoque nos Casimirus Dei
gratia Lancitie et Cujavie Dux universis et singulis
presens scriptum inspectionis duximus notificandum,
quod ob amorem et reverentiam Sancti Stanislai et
Sancti Venceslai martyrum, et petitionem venerabilis
Patris Prandothae Cracoviensis Episcopi villam nomine
Cisemino, quamquam à longis retrò temporibus à jure
suo fuisset alienata, restituumus sibi et ipsius Ecclesie
perpetuo possidendam. Relaxantes etiam hominibus ipsius
cum affectu gratuito, qui Troppi vulgariter nuncupantur,
de singulis villis eorundem quatuordecim porcos et sex
pernas, quod naras dicitur, et decem urnas tritici basei,
tres urnas magnas mellis, decem modios de Clucz, quos
pro canibus tenebantur exhibere. Ut autem haec nostra dona-
tio et ordinatio sine diminutione perpetuo perseveret, pre-
sentem paginam nostri sigilli maxime fecimus roborari.
Datum in Coyal anno gratiae millesimo, ducente-
simo, quinquagesimo, primo.

Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.